



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

3. De diuisione virtutis intellectualis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

principium actus moraliter boni, ut in communi usu hominum usurpari solet, ac D. Thomas loqui videtur, admitti potest analogia: diximus enim supra actus voluntatis proprios esse simpliciter bonos, & bonestos, reliquos vero denominari ab illis, & analogice esse tales; idem ergo proportionaliter dici potest de habitibus, quod praecipue intelligendum est de virtutibus pure intellectualibus, nam de prudentia, quae moralis dici solet, est peculiaris ratio, ut patebit inferius.

**VI.** Sed occurrit aliunde difficultas: quia de ipsis moralibus acquisitis videtur D. Thomas negare esse simpliciter virtutes. 2. quae. 66. articulo 2. quia non referunt hominem ad finem simpliciter ultimum, cum solis illis non possit homo semper bene operari. Responderetur has esse virtutes simpliciter naturae suae, quia bonum honestum est bonum simpliciter: & actus moraliter boni sunt simpliciter recti: ergo & habitus ab illis geniti, & ita loquuntur non tantum Philosophi, sed etiam Augustinus 1. de ordine capite decimo quinto, ubi dicit Philosophos quosdam fuisse de virtutibus: D. Thomas vero eo loco Theologicè loquitur, & solum comparate: nam si haec virtutes conferantur cum infatis, non videntur virtutes: vult etiam docere has virtutes solas non sufficere ad constituendum hominem simpliciter rectum, quia per se solae non eundem in ultimum finem simpliciter, quod tamen necessarium non est ad effectum cuiusque virtutis particularis, sed sufficit per se primo tendat in bonum honestum, & natura sua in finem ultimum naturalem, atque adeo esse de se idoneam, ut referatur in ulteriorem finem supernaturalem, nec vero etiam est de ratione virtutis, ut nunquam illius finis impediti possit, satis enim est si de se inclinet infallibiliter ad bonum.

SECTIO III.

De divisione virtutis intellectualis.

**I.** Dividit Aristoteles 6. Ethicorum cap. 3. intellectualem virtutem in quinque species, intellectum, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem, de qua divisione multa dicit D. Thomas 1. 2. quae. 57. Solum advertendum est in illa divisione comprehendendi plures. Prima virtutis intellectualis in speculativam, & practicam: quam Aristoteles praetermittit, vel quia ex numeratis speciebus poterat facile colligi, vel quia aliqua membra ex his quae numeravit, possunt per haec alia deo iterum dividi: sapientia enim omnino speculativa est: prudentia, & ars omnino practicae: scientia vero in speculativam, & practicam dividi solet, & similiter intellectus in habitum principiorum speculativorum, & in synderesim, verum est tamen omnem scientiam, & intellectum, comparata ad prudentiam, & artem ceteri virtutes speculativas, quia in veritatibus versantur, artem vero & prudentiam dici practicae practicas virtutes: & hoc modo docet Sanctus Thomas illa q. 57. art. 2. distinguere tres virtutes speculativas, & duas practicas.

**II.** Sed occurrit in hac divisione difficultas, quomodo possunt prudentia, & ars distinctae esse virtutes à reliquis, nam cum sint intellectuales, versari debent circa verum, ac si virtutes sunt, infallibiliter debent versari: ergo certo, & euidenter: vel ergo ex cognitione terminorum, & non distinguuntur ab intellectu: vel per demonstrationem, & non distinguuntur à scientia, vel

sapientia. Et augetur difficultas: nam hi habitus versantur circa singularia, & contingentia, in quibus nihil est necessarium: quomodo ergo possunt habere certitudinem. De hac difficultate vide Caietanum illa questione 57. Quibusdam ergo videtur has virtutes differre ab aliis, quia non sunt proprie cognoscitivae, sed veluti dirigentes, & imperantes, itaque volunt prudentiae munus non esse iudicare quod verum sit, sed post illud iudicium imperare, quid agendum sit: & similiter artis prout à scientia distinguitur, non esse docere quomodo faciendum sit opus, illud enim efficere scientias practicas: sed artis esse dirigere recte exteriorem actionem per quandam propensionem ex recto usu genitam, & hoc modo habent istae virtutes rectitudinem infallibiliter, quamvis versentur circa singularia, quia semper recte dirigunt, vel praecipunt. Sed haec stare non possunt cum iis, quae suo loco de imperio diximus, in intellectu scilicet non posse esse actum, qui non sit vel cognitio, vel locutio, atque adeo intellectum non dirigere, nec imperare nisi iudicando quid sit agendum. Unde Aristoteles 6. Ethicorum aperte dicit omnes intellectuales virtutes discernere verum à falso.

Dicendum ergo est prudentiam, & artem esse habitum certum, & euidenter, & suam certitudinem habere medio aliquo discursu, in quo cum scientia conveniunt, differunt tamen, quia cum scientia circa universalia versetur, habet suam certitudinem ex medio per se certo, & necessario: prudentia vero, & ars, quia versantur circa singularia, semper videntur tanquam in medio occurrentibus circumstantiis, & conditionibus, & applicant universalia ad particularia, in qua re est propria quaedam difficultas, atque adeo peculiaris ratio virtutis. Ex quo patet ad primam partem dubitationis responsio: & colligitur ex D. Thomas 2. 2. quae. 47. articulo 5. veritatem scilicet istarum virtutum, etiam si in individuis consideretur, posse esse certam, quia non sumitur ex ordine ad res ipsas, sed ad affectum, quod quomodo intelligendum sit supra explicavimus agendo de bonitate: explicando tamen hoc magis, dici potest in ipsis singularibus, & mutabilibus aliquid posse esse immutabile, & certum, nam licet conditiones rerum singularium sine variae, tamen occurrentibus his, vel illis conditionibus certum esse potest quid, & quo modo sit agendum, & hoc modo procedit prudentia, quae pensatis omnibus circumstantiis iudicat operari: hoc, hic, & nunc, esse honestum, quod iudicium est practice certum, ut supra diximus, & eius veritas dicitur esse in ordine ad appetitum, quia cum illo debet appetitus conformari. Et similiter procedit ars, nam proposita conditione talis finis, & tali materia, & conditionibus eius, potest certo iudicari per regulas artis, quid, & quomodo operandum sit, quod intelligitur quando ars est perfecta, quia interdum procedit ars per modum opinionis, & tunc non est virtus, & huius etiam veritas dicitur consistere in ordine ad appetitum, quia bonus artifex tale efficit opus, quale vult. Unde scripsit Aristoteles 6. Ethicorum cap. 5. ad perfectionem artis pertinere sponte errare, quod tamen est contra perfectionem prudentiae, quia est directe contra finem eius. Se- 2. Divisio

III.

Tertia

IV. 3. Divisio.

Tertia divisio est virtutis practice in attem, & prudentiam; circa quam, quia magis ad nos pertinet, notandum est primo has duas virtutes in his convenire, quod utraq; versatur circa singularia; utraque se extendit ad opus, utraque est aliquo modo regula voluntatis, & operationum exteriorum; differunt tamen, quia cum duo possint considerari in externo opere, nempe honestas eius, seu rectitudo moralis, & quidam rectus, & conveniens modus efficiendi opus; utraque ratione pendet opus ab interiori motione appetitus, & a directione intellectus: per artem ergo disponitur intellectus ad recte exercendas operationes exteriores secundum eam rectitudinem, quae resistit in debito contentu, & ordine partium; prudentia vero confert ad exercendas operationes convenienter secundum rectam rationem, & honestatem, quae differentia & ex terminis, & ex communi sensu omnium est satis nota, ut magis infra patebit.

V. 1. Corollar. Quo exponitur Aristotelis discrimen inter prudentiam, & artem.

Ex qua intelligitur primo cur Aristoteles 3. Ethicorum capite tertio & 5. dixerit artem esse rectam rationem factibilem, id est, exteriorum operum: prudentiam vero agibilem, id est, interiorum electionum, non est enim putandum prudentiam nullo modo versari in operibus externis, cum reuera de illis iudicet, & ad illa moveat: nec etiam artem nullo modo versari circa interiores actus: sed consideravit Aristoteles finem esse veluti formam, quam per se intendunt inducere virtutes hae in operibus humanis: ars enim praecipue intendit informare opus externum, internum vero solum in quantum habet vim movendi ad opus. At prudentia per se primo intendit efficere bonam voluntatem, & electionem, a qua dimanat bonitas omnis ad & exteriora opera.

VI. 2. Corollar. quo exponitur altera distinctio Aristotelis inter artem & prudentiam.

Vnde secundo intelligitur cur idem Aristoteles 1. Mag. moral. cap. ultimo dixit finem artis esse aliquid operatum manens, praeter actionem, prudentiae vero finem nihil esse praeter operationem, consideravit enim ea, quae sunt per se, nam interdum etiam ars nihil relinquit praeter operationem, v. g. saltationem: sed hoc accidit arti, ut sic, nam cum versetur in actione externa, quae est accidens ex genere suo vendicat relinquere aliquid operatum, quamquam Aristoteles his locis potissimum loquitur de artibus mechanicis, quae vocat factivas, nam ex liberalibus, si proprie loquamur: magis pertinent ad scientiam practicam, & in opere interiori versantur, quamvis ut descendunt ad singularia habeant rationem artis. Aliae vero duae Gramatica, & Rhetorica, vel proprie non sunt virtutes intellectuales, quia fundantur in fide humana, vel in hoc cum mechanicis conveniunt, quod ad operationes externas referuntur.

VII. 3. Corollar. pro alio discrimine artis, & prudentiae.

Tertio colligitur, cur Aristoteles dixit artem esse virtutem secundum quid, prudentiam vero simpliciter: quoniam ars non respicit honestatem, nec rectum usum simpliciter: prudentia vero tantum versatur circa honestum, ut honestum, & ad illud recte eligendum dirigit, & movet. Vnde notare oportet prudentiam variis modis usurpari, & lata quadam significatione comprehendere habitus quosdam, qui non sunt simpliciter virtutes, ut est prudentia militaris, & prudentia mercatoris, &c. quae in hoc conveniunt, nam proposito certo fine unaquaeque recte disponit hominem ad eligendum convenienter, & prout reuera expedit tali fini, & prudentia sic sumpta ex genere suo est potius veluti quaedam ars, ut prudentia militaris, & quaecumque alia, quae per se non tendat in virtutem, & honestum ut sic: illa vero,

quae ad istum finem refertur, virtus simpliciter dicitur ab Aristotele, & a D. Thoma etiam, propter rationem dictam.

Obiicies. Actus prudentiae, quatenus procedunt ab intellectu, non sunt per se boni moraliter, sed solum quatenus a voluntate pendunt, quia per se non sunt liberi: ergo nec ipse habitus erit per se simpliciter virtus. Respondetur concedendo in illis actibus non esse per se, & intrinsece bonitatem moralem. Vnde si nomine virtutis significatur habitus ita hos actus solum eliciens, prudentia certe non esset virtus: nunc autem virtus vocatur habitus ille, qui per se, & ex natura est aliquo modo principium talium actuum: & huiusmodi est prudentia, quae etiam si non eliciat formaliter bonos moraliter: est tamen regula eorumdem actuum, & id esse infallibiliter movetur ad honestum, & optime disponit in ordine ad operationes humanas, ut in specie, & modo constitutas, & ideo virtus simpliciter censetur.

VIII. Obiectio dissolutum.

Ultimo. In hac virtute prudentiae advertendum est ex supradictis de actibus humanis, iudicium illud practice practicum de honesto, & ingenere, procedere a consilio, quod quidem consilium requirit, & inquisitionem, & inventionem medicorum, propter quae adiunguntur prudentiae eubolia, synesis, & gnomi, scilicet ad inveniendum media ad iudicandum per inferiores, vel superiores causas, vel ad iudicandum secundum communes regulas, vel secundum extra ordinarios eventus, de quibus D. Thomas 1. 2. q. 57. art. 6. sed latius 2. 2. q. 47.

IX. Qua de causa virtutes quaedam requiruntur ad prudentiam.

SECTIO IV.

Qualis sit distinctio inter virtutes morales.

SYpponendum primo ex supra dictis, & ex D. Thom. 1. 2. q. 58. art. 1. morem proprie ad actus liberos referri, qui primo sunt a voluntate, ex quo factum est, ut virtutes appetitivae communiter dicantur morales, quasi primo efficientes rectitudinem in moribus, virtutes enim intellectus quamvis etiam perficiant actus liberos, & hoc modo possint dici lae morales, quia tamen non illos perficiunt, quatenus liberi sunt, ideo nomen hoc proprie illis non tribuitur, licet interdum accommodetur prudentia, ut notavit D. Thomas illa questione 58. articulo 3. ad 2. eo quod haec virtus maxime pendet ab appetitu, & minus potest per se sola rectitudinem in illo efficere. Qua prudentia omissa, de aliis disputat D. Thomas 1. 2. quest. 59. & 60. tamen in priori solum demonstrat quo modo moralis virtus se habeat ad passiones, id est, ab illis distinguitur, & cum illis esse possit, de qua re praeter illa, quae ad materiam de passionibus spectant, & quae de virtutibus appetitivis sensitiivis dicemus, nihil videtur notatione dignum, in alia vero tradit divisiones harum virtutum.

I. Notatio de virtutibus contra quosdam.

Vbi secundo advertendum est quosdam negasse reperiri in voluntate plures virtutes morales, sed vnam sufficere, cuius adaequatum obiectum sit bonum honestum, & actus eius sit propria reddere voluntate ad omnia opera virtutis, quae honesta sunt, quod si contingat voluntatem esse facilem in vna materia virtutis, & non in alia, dicunt habere virtutem illam inchoatam, & non satis extensam: & eodem modo loquuntur de appetitu sensitiivo, si in eo ponenda est virtus. Nam vnum habitum dicunt sufficere ut appetitus sensitiivus inclinetur ad obediendum in omnibus voluntati recte moventi. Haec tamen sententia ab omnibus

II. Notatio de virtutibus contra quosdam.